


Georg Fabricius Johann Kirchmann

Georgii Fabricii Sleswicensis, Oratio De Suspicione


Hamburgi: Langius, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791367487>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 1673 (1674)
Georg Fabricius (Pup)
Johann Kirchmann (Prac.)



GEORGII FABRICII
SLESWICENSIS,
ORATIO
DE SVSPICIONE,
CENSENTE ET
APPROBANTE

V. CL.

M. JOANNE KIRCHMANNO,
POES. PROFESS. PUBL.

Pub. recitata

IN INCLYTA ROSURBINA

In Auditorio magno,

xv. Kalend. Maji, Anno 1613.



HAMBURGI,
Excudebat PAULUS LANGIUS,
Anno cl. lxx. xiv.



* * *



*Magnificis, Amplissimis, Consultissimis, re-
rumque usu & auctoritate eminentissimis*

VIRIS,

DN. ALEXANDRO LUNEBURCH,

DN. JACOBO BORDINGO,

J. U. D. EXIMIO,

Consulibus Reipub. LUBECENSIS

splendidissimis,

Ephoris & Scholarchis ludi literarii

meritissimis.

NEC NON

*Reverendo, Clarissimis, Excellentissimis, omniq̄
virtutis atq̄, eruditionis laude praestantissimis,*

DN. M. GEORGIO STAMPELIO,

DN. M. JOANNI KIRCHMANNO,

*illi Superintendenti Ecclesiae, quae Lubecae Chri-
sto colligitur, vigilantissimo;*

*huic Scholae patriae moderatori, ut dignissimo,
ita fidelissimo & exoptatissimo.*

*Fautoribus ac Mecœnatibus meis magnis hanc
perpetui cultus & obsequii arrham, cum officio-
sissima salute,*

DO, DICO, CONSECREO.

A 2

QVOD



VOD fieri in nundinis consuevit, Viri re-
 verentiâ eximii, splendore Magnifici, di-
 gnitate amplissimi, eruditione clarissimi,
 fautores ac Meccenates summi, summè ho-
 norandi; quod, inquam, fieri in nundinis
 consuevit, ut ubi omnia splendidis mercibus
 auro forte etiam & gemmis luculenter relucent, diversa in
 desideria contemplantium animi exardescant. hi illa eximia
 habeant, alii aliò vota conjiciant: id in nundinis potissimū
 literariis, & bonarum artium mercatu usu venit, ut admirari
 quidem omnia homines soleant, sed possidere alii alia cu-
 piant. Non enim iisdem omnes ingenii nascimur, non uni-
 usmodi singulorum est voluntas. Unde fit, ut alii aliò incli-
 nent, nec in primis eadem omnes habeant. Quoniam verò
 ex iis, quæ appetuntur, necesse est aliquid excellat, ut de
 multis optabilibus unum optabile maximè sit: quid sit id,
 quò ego meo animo cæteris præstare putem, si quis ex
 me quærat, dicam id, quod, qui assequuntur, rudes ani-
 mos ex Ignorantiæ salebris expediunt, & in templum bo-
 næ Mentis molli prehenso manu educunt; id autem sine
 dubio est literaturæ politioris cognitio. Cum igitur omnes
 me literæ, omnisque libero homine digna cognitio vehe-
 menter delectat; tum verò pascor incredili voluptate, &
 afficior majorem quendam in modum sensibus intimis,
 quoties in amœnioribus authorum meliorum viretis spa-
 cia facere contingit. Quam jucunditatem, addo & utilita-
 tem, ex quo tempore legitimo æstimare precio cepi, me-
 moria teneo, neque summam mihi ad comparandam litera-
 rum humaniorum cognitionem, voluntatem; nec medio-
 crem ad augendam laborem defuisse. Nihil mihi arrego,

non

non scientiam. non eruditionem; sed quo utrumq; comparatur, Laborem & Industriam. Has vindicare sibi potest, quisquis appetit: has possidet, quisquis optat. Hæ in elatum non cadunt animum: quicquid enim præoccupat Opinio, nunquam assequitur Industria. E diverso verò omnia facile consequitur, qui omnia sibi deesse videt: facile in scientia proficit, qui eâ se carere novit: facile discere incipit, qui nescire se prius didicit. Quod si tamen Rever. Magnif. Excellent. V^{ris}. Dign. tantum oculi est, ut de me in rem præsentem venire allubescat, ecce vobis meam DE SUSPICIONE ORATIONEM. Quæ cum in clarissima patrum civiumq; Academicorum luce habitata sit, ut programma sub finem additum testatur, existimat hoc sibi deberi, ut hac tandem occasione tenebris subducta, in claram plenamq; hominum lucem proferatur. Neq; iturientis conatibus intercessi, nec quominus in publicum viam affectaret, causæ quicquam duxi. Id saltem animum ancipiti deliberationis lance suspendebat, ad quos potissimum Patronos exeuntis iter dirigerem. Verebar de principio, ne, si ad Rever. Magn. & Excell. V^{ras}. Dignit. destinarem, mihi impudentiæ notam scriberem, quod Vobis tantis tantula Scriptionis nuncupatione obstreperem. Vos enim tanti, quo Dignitatis, Virtutis & Eruditionis gradu inter mortales emineatis, neminem mortalium fugit: ut planè mihi viderer, si inornatori dono ad Vestræ Famæ aram accederem, quædam Numina violaturus. At enim verò dum in hoc dubitationis æstu paulo momento huc atque illuc impellor, commodum mihi venit in mentem, quod nec DIS ipsis

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu:

Unde hunc quoque parvum laborem Rev. Magn. & Excell.

cell, *Vras.* Dig. haud ingratum fore certo omine præcipio. Nimirum nemini fraudi fuit Deum placare, quo tandem modo posset. Imò melius & religiosius DEUM veneramur pura & incorrupta mente, quam pomposo carmine & donariis auro prænitentibus. Sæpè etiam res viles templis dicatæ ab animo consecrantis pretium sumunt. Hac ratione fretus, hoc quicquid est muneris ad Rev. Magn. & Exc. *Vras.* Dign. defero, & in isto, interioris animi affectum, quantus est, in earundem cultum & observantiam feridè devoeco. Nec contra facere nunc quidem vel facilè possum, vel omnino debeo, qui ex hoc die vester esse, vobis, vestrisq; debere incipio. Ita meretur summa illa, qua hætenus me meosq; complexi estis, benevolentia: sed quasi parùm sit omnis generis benevolentiam in me ornando expromissæ, extenditis munificentiam vestram, & ad culmen votorum extenditis, dum munus mihi delegatis loco vicinum, dignitate honorificum, functione congruum, denique vitæ meæ rationibus maximè accommodatum. Ut enim sine ullo verborum velo intimam animi mentem vobis aperiam. Ego benè mereri de literis & juventute etiam si minimè quæstuosum id sit studium, tamen præclarum inprimis atq; egregium semper duxi. Et sanè utilitatem spectare si volumus, ea demum summa est, quæ ex hoc genere percipitur. Fructus enim in adolescentis juventutis memoria & prædicatione positus est, quem nemo unquam bonus non præstantissimum judicavit. Quam benè merendi rationem licet conjunctam cum labore non parvo agnoscam, tamen pernecessariam esse in omni Republ. & in vita honorificam video: tum verò sic existimo, nihil tam laboriosum esse, quin, si lubenter & cū voluptate feras iucundum evadat: contra nihil tam facile, quin, si invitus facias, tædiosissimū reddatur. Quare si singulari fati benig-
gnitate

DEDICATORIA.

gnitate factum est, ut, qui semel hoc scholasticum vitæ genus firmo animi decreto amplexus sum, is ad tam honorificam ejus functionem vocarer: gaudeo in laudatissimâ vestrâ Repub. offerri locum, in quo jucundum hunc laborem alacriter ingrediar, cum spe laudis fideliter tolerem, fructum deniq; ejus in medio positum honestè percipiam. Felicem me judico, quòd eò evehor; feliciorem, quod à vobis, qui jam virtutum vestrarum famâ terrarum orbem implevistis. Nihil mihi honorificentius, nihil gloriosius sperare, imò optare hoc munere potui: cujus magnitudinem si specto, fateri cogor planè immerenti collatum esse: si promittudinem vestram qui contulistis, sine difficultate obtentum: ut sic beneficentia vestra undiquaque perfecta & modis omnibus absoluta videatur, nec merito ullo meo imminuta, nec petitione extorta. Ita est, Viri Magnifici, Clarissimi, Excellentissimi, fons ille, unde beneficium hoc emanavit, singularis benevolentia est, & cum benevolentia judicium, quod honorificum habuistis de me. Quodequidem, quantum animo conniti, contendere labore possum, (si omnium ille largitor bonorum Deus cèptis aspiraverit) studio indefesso omniq; prorsus cura atque industria tuebor: quin & in id totis viribus incumbam, ut si quid aut jam est in me facultatis, aut erit aliquando, iis, in quibus assidue versor, studiis partum & vigiliis, id quantumcunque erit, serviat totum vestro honori vestrorumq; educationi. Interim de ista vestra tam proluxa in me voluntate, de tam ingenti beneficio meritò ex animo mihi gratulor, ac tanta vobis omnibus & singulis debere me ultrò profiteor, quantum me nullo persolvere die posse intelligo. Quando tamen, id quod volo aut debeo, non possum, quod possum si in præsentia velim & præstem, omni me notâ vacuum existimabo. Id jam facio, Magnifici, Clarissimi, Excellen-

tissimi-

EPISTOLA DEDIC.

tissimiq̄ue Viri, impulsus beneficii magnitudine, renuncia-
vi tantisper nativo pudori meo, dum munusculum quod
videtis obtulisset. Parvum quidem illud; sed magnum hoc
ipso efficietis, si facili ostio admittetis; si respicietis æqui-
tate vestra, quod adest; supplebitis benevolentia, quod
deest. Ajunt medici humorem esse in oculo, qui omnia ma-
jora exhibet, quàm sunt. Eum quaeso, quæ vestra insignis
est humanitas, imitami, & ut parùm desit, favorem ad-
ferte. Accipite, Viri Magnif. Ampliss. Clariss. Excellent.
Mecœnates magni, accipite grati & obsequiosi animi mo-
numentum, novum vestri clientis donum. Qui cum vobis
cætera omnia debere incipit, etiam hoc debere vult: ut sub
nominis auspicio vestri & tutela, LEGI & CENSE-
RI possit. Vobis quidem, si consequar, ut hæc qualiscunq̄;
grati animi nota & industriæ significatio probetur, sanè
meum laborem non exiguo compensatum fructu existi-
mabo. Quod tamen ipsum, qui vestram in me benevolen-
tiam ignorare non debeo, ita opto, ut sperem, ita spero, ut
futurum mihi persuadeam: cum summâ votorum hæc,
ut sera sit ac nepotibus demum nostris nota dies, quæ vos
terræ subtractos cœlo inferat. Ita seriò precor & voveo.
HAMBURGI, ipsis Cal. Mart. Anno cl. lcc. xiv.

V. Magn. & Excell.

æternùm devotus

M. GEORGIUS J. F. FABRICIUS.

I

O R A T I O
D E S V S P I C I O N E .

Habita Rostochii xv. Kal. Maij.

ANNO CLO. IOC. XIII.



ISTORIARUM consignatum monu-
mentis accepimus, Rector Magnifice,
Patres Academia Reverendi, Cl. con-
sultis. ampliss. fautores ac praeceptores
perpetuo observantiae voto exoptatis-
simi, vosq; Musaeaeque flosculi nobilissimi, lectissimi,
cives praestantissimi, historiarum inquam monumen-
tis consignatum accepimus, Vibium & Publicium li-
bertinos, Pompejo Magno ore ita fuisse similes, ut
permutato statu, & Pompejus in illis, & illi in Pom-
pejo salutaripossent. Quocumque, ait Valerius, aut
Vibius, aut Publicius accesserant, ora hominum in
se se obvertebant, unoquoque speciem amplissimi ci-
vis in personis mediocribus annotante. Res mira pro-
fecto & vix millesimo credibilis! Et tamen sic quan-
doque sua in regia ludit Natura, ut jures ipsam sibi
planissimè excidisse, & quidvis potius, quam manda-
tas sibi officii partes peragere. Verùm quod hac in
parte multis Natura denegavit, id arte & vafricie
emulantur & imitantur. Reperias enim non paucos,
qui licet Vibii sint & Publicii pessimi, ac vel Ther site
deformiores, tamè ementitis subnixi alis, in compitis

Vibius &
Publicius
Pompeio
Magno si-
miles.

Valer. lib. 9.
cap. 15.

Sed id olim
fuit:

Multi hodie
sub persona
vivunt.

B

E

Et circulis magnificè ob oculos hominum obambulat. ita ut non raro pro Pompejo passim salutentur, honorentur Et tantum non syndone excipiantur. Avari parsimonia interni ulceris purulentiam abscondunt: Audaces fortitudinis mantello vitium inumbrant: Ambitiosi glorie cupiditate tanquam clypeo malignitatem elidunt: Superbi excitatoris indolis letitia turpitudinem desleatunt: feroces singularis animositatis obtentu malam notam deprecantur: Suspiciosi caute prudentie linteo noxiam suam extergunt. Omnes sub persona vivunt, venustis encomiis fæda stigmata dispungunt, specioso titulo culpam elevare, quam ingenua confessione agnoscere malunt. Ut verè pariter ac eleganter arbitrari Arbitrum censeam, cum totum orbem exercere histrioniam arbitratur. Aut ut alius: Valetudinarium quoddam esse ingentem hanc mundi civitatem, in quo ægri non decumbant, sed pro vivis ambulent; pauci morbum suum videant, omnes ament. Per omnia hæc morbi genera oratione mea incedere immensum foret: quid avari, quid audaces, quid reliqua factio musinetur, exquirere nec otium, nec animus est. Quod volunt sibi somnient hi Sabini, dedant se ac discipulant, per me licebit. Cum suspicione mihi jam res erit, hujus alumni, in quam profundo Et fædo luto harent, quam miserabilem rebus suis exitum inveniāt,

pro

Petron Arb.

Heiaf. or. 7.

Etiam suspiciosi: Et quidem excipiant. Quod vitium nunc damno.

pro temporis & ingenii ratione scrutabor. Suspicionem verò dum perstringo, ut omnem Sapientis Diffidentia pronitatè à me perstringi & damnari quiscquam arbitretur, Dicitq; homines prohibeant. Neq; enim is sum, qui fidem indiscriminatim omnibus habendam suadeam. Facile patere adictum injuriæq; oportunos esse novi, cui vis dextram qui injiciunt. Multis namque simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur hominis Natura: frons, oculi, vultus sæpe mentiuntur; oratio autem sæpissimè. At enim verò in hoc diffidentia campo pede versari cauto, & ad Suspicionis confinia non facile exerrare, id verò præclarum assero; temerè affirmare de altero, fœdum judico; ex levissimis signis ad mali opinionem delabi, periculosum contendo. Illum affectū, quem vir bonus cane pejus & angue à se spernit, quem excelsus animus omnibus modis suis ex præcordiis exurit, Suspicionem dico. De cujus Fœditate & simul Pernicie dum libere in Republ. veritatis libera acturus sum breviter, vos ego Patres, Civēsq; Academia, qua par est observantia, rogo & oro: ut quod est humanitatis, benignè; quod studij & benevolentia, attentè audiatis.

Principio quidem, si cogitationum nostrarum summam paulò altius subducere voluerimus, manifestò deprehendimus, duo in primis esse, quæ fœditatem

non tamen
cautam diffidentiam,

Cic. ad Q. fr.

Si sit cum modo.

Si fœcus Suspicio nascitur

Quam vir bonus execratur.

utpote fœdā & perniciosam.

De utroque mihi sermo.

Fœditas Suspicionis

tem suspicionis clarissimo argumento prodant: unum est, quod in fœdas personas cadat; alterum quod fœdissima sit ipsa.

quam de-
clarant.
I. PERSO-
NÆ.
quæ sunt
I.
Viles &
obscuræ.

Personas dum circumspicio, occurrunt non illustres & optimarum instructu virtutum eximii heroes: sed quales è terra nascuntur, Viles & malè conscij homunculi. Ne miremini Audd. adeò inornatam vilium personarum cohortem à me produci. Imitatur enim nostra hæc egregios belli duces, qui ut magnam lixarum & calorum constant manum cum peditum & equitum defuit copia: sic illa magnorum irretiendorum delusa spe plebejorum circulos perambulat, & minutulis contenta, aliquot terræ omniparentis alumnos rectè à damnatas suas in insulas deducit. Humilis est nostra Diva, infirmitatis domesticæ conscia manet intra staturam, nihil tentat supra vires, humilium votorum modestiam non transcendit, prælustria vitat, ad submissos divertit. Montes odit, Valles amplectitur. Videte colles camporum, intuemini montium tumulos, sublimiores sunt intra quam ut fontes huc pertingant, proniores infra quam ut imbres in iis consistant. Eodem modo Suspicio in vilium animarum hospitium repulsæ insolens concedit, hic regni sui sedem defigit: magnarum verò ædium vestibula præterlabitur, & ne quidè sollicitare audet. Nam quibus masculus ille sanguis in

præcor-

præcordiis concaluit, suspicionis vi & arbitrio men-
 te penitus emancipatam gerunt, generosiores sunt &
 ad majora geniti, quã ut humili obsequio talis Domi-
 na se se imperio submittere sustineant. Hac quin ita
 sint, qui rerum teneat memoriam, nullus dubitabit.
 Ne tamen sine exemplo loquar, unum è multis eumq;
 insignem in paginam producam: qui, quam lon-
 gum à se suspicionem excelsus releget animus, pro me
 ostendat. Ægrotabat rex Macedonum Alexander
 Tharsi, & ægrotabat ita, ut obstupefactis nervis ac
 torpore hebetatis artubus ad extremas fati oras ap-
 pulsus pro mortuo haberetur. Consulti medicorum
 filij suum faciunt, attentissimo consilio salutis reme-
 dia circumspiciunt, & post morbi examen in eandem
 sententiam de certa aliqua potione concinnanda o-
 mnes descendunt. Hanc dum suis manibus ad Ale-
 xandrum medicus Philippus defert; Parmenio qui-
 dam de compacto rem geriratus, ex insidiis literas in-
 pestilentiam regis datas submittit, quibus denunciat
 fraudem subesse, que etiam atq; etiam cavenda sit.
 Verum optimus rex, qui maximus est innocentie fru-
 ctus, nihil de medico suspicatus mali, è vestigio medi-
 camentum hausit, & præcipitem male consulentis
 Parmenionis temeritatem optimo exemplo elusit.
 Hoc mihi factò tam excelsò, magnus ille Alexander
 Suspicionem percussisse pugno videtur, & improbam

Nam ma-
 gni viri ex-
 tra hunc i-
 etum sunt

quod satis
 doceat Ale-
 xander.

Valer. Max.
 lib. 3. cap. 8.

voluntatis lenam, cujus certissima perniciēs in pro-
clivi erat, domo & foribus suis exegisse, ac, ut res su-
as sibi haberet, iussisse. Pro quo tam constanti erga a-
micum iudicio dignissimam à DIIs immortalibus mer-
cedem reportavit: dum propinque sanitatis pignora,
quæ in limine præsto erant, falso suspitionis indicio
intercipi vetuerunt. Sic nimirum rectiora ingenia

Sen. in Hipp.

se in laudes ferunt

Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Opportunio-
res humiles
animi.

Verum è diverso viles & malignæ animæ, quas vel si-
dere suo afflavit Saturnus, vel in terram iniquior
depressit genius, hunc suspitionis cibum, omni ne & a-
re, omni Indicæ arundinis succo suaviorem habent.

Audite Hegionem Terentianum, qui ita habet:

Omnes quibus res sunt minus secundæ magis
sunt nescio quomodo

Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt
magis

Terent. in
Adelph.
Act. 4. Sc. 3.

Propter suam impotentiam se credunt negligi.

Jun. in quæ-
stion polit.
ex Buchan.
lib. 12. rerû
Scoticarum.

Calculum addit alter in hanc sententiam: Quan-
tò quisque sui minorem fiduciam habet, tantò faci-
lius aliorum dicta & facta ad suam contumeliam ac-
cipit, vehementius irascitur, ægrius pacatur, immo-
deratius vindictam parat & velut contemptum sui
exercet. *Quamobrem verò ita? Nimirum falso*

modu-

modulo res plerumque omnes metiuntur, & detracto
 velamento verum raro aestimant. Ut in apologo ca-
 nis umbram corpori praefert & imaginem offae, qua
 ore tenebat frustra captat: ita istae in ambus senten-
 tiarum deceptae simulacris, ad pejora flectunt judi-
 cium, non rem sed fallaces rei effigies colunt. Hinc
 ille lacryma! hinc opinionem mali ex levissimis si-
 gnis non sine illecebra credulitatis animo suo facile
 induunt, arcesitis ex alto, nec tamen aestimatis argu-
 mentis tristitia sibi fingunt, etiam tuta timent, donec
 tandem collectis quarumvis conjecturarum auru-
 lis, suspicionum suarum vela impleant, miseri &
 infelices homines. Infantes infelices judicamus,
 quod nutricum ope in sumendo cibo utantur, quae
 plerumque succum meliorem ipsa exhauriunt, hos
 saliva sua pascunt. Audite & credite rem-
 certissimam. Saliva vanissima persuasionis est,
 qua pascuntur suspiciosi: excrementa sunt & sordes
 male purgati cerebri, quas vorant; qui vel non in-
 telligunt, quid alii sentiant caeci: vel citra causam
 sinistrae de se ominantur stolidi. Ecce caecos & stolidos
 suspicionis affeclas: Haec mala Diva sedes est, hic cir-
 cus ille maximus, in quo admissis velut equis currit,
 & lascivit: hujus commatis homines inquietat, hos
 vinculis suis constrictos tenet, hos mole trusatilis in-
 morem ex libidinis suae instinctu circumagitat.

qui umbram
 rei pro ipsa
 re consecra-
 tur plane ut
 canis ille
 A Jopicus:

incognita
 pro cognitis
 amplectun-
 tur

Infantibus
 simillimi.

Quam

Quam ad rem si revolvere annales, si consulere factos allubesceret, proferrem Pbalaridem, Herodem, Trizum & fatalia hujus generis portenta alia, quos hac tabe attritos semper in pejus abijisse historiarum fides contestatur. Sed cum de his differendi paulò inferius locus detur oportunior, transilio ad notam alteram, quæ Suspicionis domesticos collutulatos intelligo, ad malam Conscientiam.

Malè con-
scix.

Benè consci
se non qua-
runt extra,
sed inter-
na tranquil-
litate se in-
volvunt.

Malè conscios dixi Suspicionis filios. Et quidni? Si rectè calculum pono, scintilla & fomes tanti vitij est internus ille judex, malè compositus animus. Cui enim cum conscientia benè convenit, ex alieno rationes suas suspensas non habet; ita vivit ut oportet; testimonium ipse sibi dicit non accipit: qui vel quantum sit, domi suæ novit, foris ab alio non discit: se in tuetur, alterum non moratur; secum contentus est, alieno libertatem voluntatis in manum non dat, & quod omnibus his majus est

Malè con-
scii omnia e-
tiam tutati-
ment, omnia
in peius in-
terpretan-
tur.

Si fractus illabatur orbis
unius conscientia tibi sine suffultus de statu suo ne digi-
tum quidem transversum dimovetur. At enim ve-
rò qui domestico fumo laborat, qui conscientiam
inimicam experitur, ubi judicem timet, mero me-
ridie tanquam in illuni nocte cespitat, oculis an auri-
bus credere debeat animi dubius. Ita prorsus si per
gradus suos improbitatem subducimus, quæ scelus

vexil

vexillum prætulit, & præivit, contentopassu sequitur Suspicio. Nemo, nisi qui crimen in pectore gerit, hanc intergo Nemesis persentiscit. Nemo de se malè ominatur, nemo ab altero fraudem expectat, priusquam malè dixit aut fecit: cum autem fecit vel dixit, etiamsi nemo sit, qui malum meditetur, nemo qui fraudem paret; non potest non malè de se ominari, fraudem expectare. Tanta vis est conscientia! semper poenam ante oculos versari putant, qui peccarunt. Ut meritò exclamet ille: Bone DEUS, quàm malè est extra Legem viventibus, quicquid meruerunt, semper expectant! Hinc quod accidere iis solet cum ulceribus qui conflictantur, ut levisimum etiam tactum anxium habeant, & nimioperere refugiant: idem usu etiam venit malè consciis, ut memoria scelerum semper surdo verberare flagellentur, semper ulcus suum obliquo ictu tangi arbitrentur.

Cic. pro Mil.

Petron. Arb.

Quam re
ulcerosos im-
itantur:

Atque hic nimium equidem vellem famosissimus ille Jugurtha, usuraria paulisper vita redderetur: ille, quæ homini suspicioso, cum flagitiis jam contactus, per apertos improbitatis campos effreni cursu grassatus est, ille quæ inquam mens, quid animi sit, sua voce luculenter edissereret. Sed cum id non possit, interprete contenti erimus;

Videre est
id in Jugur-
thaSall. de bell.
Iug.

C

qui

qui affirmat Jugurtha, ex quo semel omnium ab se animos abalienarat, nec diem nec noctem ullam quietam fuisse; licet nemo terreret, tamen neque loco, neque tempori, neque mortali cuiquam satis credidisse: cives, hostesque juxta metuisse, circumspexit omnia, alio atque alio loco saepe contra decus regum noctu requievissse, interdum somno excitum arreptis armis tumultum fecisse, formidine quasi vecordia exagitatam; nec rem, nec consilium, nec hominem ullum placuisse; quocumque oculi inciderant suspecta fuisse, res omnes contra votum cecidisse. O rem omni admiratione, omni oratione majorem! O conditionem suspiciosorum verè miseram & lamentabilem!

II. IPSA
SUSPICIONIS
INDOLES.

Satis jam ignominiosus coloribus ipsas Personas deformasse, & velut in tabulâ spectante populo prostituisse videor: ad ipsam nunc Suspicionem gradum promoveo, cui flammeum paulisper detrahâ, & ipsam, qualis est, in vero suo vultu omnibus sine amiculo & velamento contemplandam proponam. Quoddam facio Appionem imitabor, de quo refert Plinius, ipsum defuncti Homeri animam ab inferis in terram ad colloquium elicuisse, cumque rem arduam ac difficilem percunctaturus crederetur, id unum quaesivisse, à quibusnam parentibus esset procreatus. imitabor; & quam præclaris natalibus ortum suum

debeat

debeat nostra Diva, exactiori scrutinio per vestigabo. Quamquam quid ambitiosè per vestigabo qui in promptu sunt? ipsa lineamenta majores referunt, à vultu arguuntur.

Pater est Philantia seu cœcus Amor sui

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Mater Opinio: Diffidentia verò Nutrix apposita est.

Ita scilicet corax malus malum ovum parit, cancer cancrum sequitur, vara vibiam. Explorate omnia, videte singula, exclamabitis Sic oculos, sic illa manus.

Nam de Patre quidem Philantia res luce meridiana est clarior. Hec scaturigo est omnis calamitatis

Hoc fonte derivata clades

In patriam populumque fluxit.

Hec omnis mali fundamenta exedificat, hæc inspirat suspicionem, hæc animat, hæc vitam & sanguinem subministrat. E moribus & factis Philantia, cui id non liquidissimè appareat? Suavis enim, suavis est Philantia, eleganti exornata Admirationis pretexta animo illabitur. Quemadmodum Trojanos ajunt non per portas urbis, sed in machina intrasse: ita illa per cuniculos animum non oppugnat, sed flectit; ducit, non trahit; ludendo occupat, non perfringit, & cum voluptate quadam in perniciem abit.

*Cujus pater.
Sui Amor.
Horat. libro
I. Carmin.*

Horat.

*Qui suaviter animos
dementat.*

Alciat. Emb.
69.

Ingens est marcor cladesq; Philautia, doctos
Quæ pessum plures datq;, deditq; viros.
Qui veteri abjecta methodo nova dogmata quæ-
Nilq; suas præter tradere phantasias. (runt,

*Hujus imperio qui fasces submitunt, Circæo quo-
dam poculo incantantur, nisi quod ipsi faciunt, nil re-
ctum putant,*

Et spirant tragicum satis & feliciter audent,

*Omnes contemnunt, se tantum amant. Hoc verò in
amore miserrimum est, quod in reliquis optari so-
let, rivalem non habent hi amantes: se mirantur sed
sine æmulo; se ambiunt, sed sine competitore. Semper
ambiunt, nunquam exorant; semper proci sunt,
nunquam mariti. Non enim facile consequuntur
quod amant; cum sit idem, & qui amat, & qui ama-
tur; qui petit, & qui petitur. Hi dum magnificè se
circumspiciunt, & in fonte gloriæ nimium contem-
plantur, impudentibus votis modum prætergrediun-
tur, quicquid stultè cupiunt, improbè sperant, quod
sperant, avida cogitatione, depascuntur; accepta
non tam numerant in muneribus, quam non accepta
in damnis. Vehementer indignantur, si inter eximi-
am claritatem suam, aliena quoque virtutis fulgor
resplendeat: se postulant laudari; sed unice, sed
eximiè laudari. Cogitant quantum alienæ laudi de-*

corpse-

*Ita quidem,
ut hoc vitio
corrupti se
præter, esti-
ment nemi-
nem.*

cerpserint, tantum velut ex aere collatitio suae ac-
 cessurum. Si alter partiaro honore defungitur,
 si virtute & eruditione excellit; contumeliam in-
 terpretantur, & vicin ultra Varnum qui habitat,
 ingenium obtigisse, capitalius, egerrimè ferunt.
 Dum sic impetratum atque inauguratum esse videt
 Suspicio, magno animo operi incumbit, delegatio-
 nem jam non expectat, ipsa sibi Dux & instigatrix
 est, ut eat, jam jactam esse aleam, jam precipi-
 tandas spes maximis votis gravidas, advenisse diu
 captatum tempus, jam signum à Pratore datum,
 prosiliendum ad cursum, ingentem effloruisse sege-
 tem, in quo se pascat, & ad votum lasciviat. In
 hanc sententiam ex tripode dixit, qui dixit: Fit ne-
 scio quomodo, ut omnes amore sui immodico
 Admiratio extra lineam abripiat, & Suspicionibus
 illectet. Clarum id est in Prusia Bithyniae rege, qui
 Filium suum Nicomedem, nullo suo merito, saltem
 quòd summa apud Romanos valeret gratia, carus &
 aestimatus existeret populis aliis, adeoque Patri Ho-
 nore & gloria equis (quod aiunt) albis immensum
 praecurreret; & privari imperio, & exui vita iussit.
 Perspicuum in Crotoniatis, qui cum quotidie libera-
 lium scientiarum candidatos ad Pythagoram visere,
 hujus limen à viris praclaris obsideri, sollicitari fo-
 res, impleri atria lividis agrisq; oculis intuerentur;

Et hic Suspi-
 cionis fomes
 est.

Lucian, de
 non tem. cr.
 calum.

Liqueat in
 Prusia.
 Zuïng. vol. 1
 lib. 2. ex Ful-
 g. l. 9. c. 10.

&

Crotoniatis
 Zuïng. ibid.
 ex Laërt l. 8.
 in vit. Philel.

usque eò oleum camino addidit suspicio, ut ad extremum innoxio sanguine pertinacissimo odio sceleratè parentarent. O Philautia! quid non efficis, ubi semel humana pectora tuo effascinare veneficio cœpisti? Habetis patrem, & quam cautè scilicet ad consilij calculos sedeat, cognovistis. Matrem deinceps accipite. Nam dum suum facit pater Philautia, suis etiam cum Consiliariis advolat

Mater. Opinio.

Quæ omnia
& dicta &
facta per-
vertit.

Echone
quod

Pater. in Ti-
berio Cesare.
Sueton. in
Tiberio.

Olympia
Cuing. ex
lutarcho

Mater Opinio, quæ infando nixu sacram & horribilem suam prolem luci exponit. Larvam veritatis induit, deliberationibus intervenit, suffragia ac sententias moderatur, imò Hercules pro iudice sedet. Omnia malitiosè auget & attollit: ac ut convallium ille sonus, quem Echonem dicimus, unam vocem ter aut quater iterat: sic nova hæc Sapientiæ consulta, verba & facta, visa & audita, etiam casu dicta in pejus ut plurimum interpretatur. Elucet id si in quocumque alio, certè in Tiberio Cesare, qui cum Zenonem quendam exquisitiùs sermocinantem interrogasset, quenam illa tam molesta Dialectus esset, & respondisset Doricam; illicò inaudita causa hominem tristi litera condemnavit, solum vertere iussit, ac Cynariam relegavit: existimans scilicet (quod Zenoni ne per somnium quidem in mentem venerat) exprobratum sibi veterem recessum, quod Doricè Rhodij loquantur. Patescit in Olympia, quæ cum in-

audi

audivisset Alexandrum filium, vel (ut aliis placet) Philippum maritum obstrictum foemina cujusdam amoribus teneri, causam illicò in amatoris poculis reposuit, cum interim à vero tantum abesset, quantum ab *Adria Vasconia*,

Quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano. Videre est in *Timesia Clazomenio*, qui in *Scholam* aliquando nescio quo ducente *Mercurio* delatus, ludentes offendit pueros. Cum autem de linea inter duos nata esset contentio, & aliud agenti juveniculo haec forte verba excidissent; Sic ego *Timesiae* cerebrum discusserim; mox territus in limine restitit: persuasum habens de suo capite à puero comitia fieri, puerum caelum & terram convocaturum, ut ad unum *Timesiam* evertendum vires conferrent. Hinc factum ut furtiva discessione è patria profugeret, & voluntario se exilio mactaret. Sic res geritur: sumit res non concessas *Opinio*, atque ex illis etiam si minimè cohereant, quae vult omnia efficit: *minutilogium* nescio quod non in *Aristotelis Lycéo*, sed ad *Fanum* fortasse *Medium* edocta; quidlibet efficit è quolibet, ac cum rem rei conferre jus sit, repente per gradus verè *Gemonios*, à primo mobili ad *brassicam* devolvitur, incognita pro cognitis venditat. Omnia se simulat scire nec quidquam scit: novit quid reginae rex in aurem dixerit; quid *Juno* fabulata sit cum

Timesia Clazomenio.
Æliana. lib.
12. Var. hist.
cap. 9.

Quin & *Opinio* novit, quae non novit; videt, quae non videt.

Fove

Jove; quotumo ad cœlum die Ganymedes pervenerit: quot Paris olim Menelao scyphos subtraxerit: quis Jovi sex ante natalem suum annis, ab epistolis fuerit: quæ neque sunt, neque fuerunt, neque erunt, tamen novit. Jures silenti nocte imaginariam banc Deam humanos animos immigrare, interioris pectoris latebras evolvere, & quid quisq; sentiat, postmodum in vestibulo oris legere: adeo omnia ad unguem novit, omnia in numerato quasi scripta habet. Verbulo fortè de Sejo quæstus est Titius? mala ingeret multa, capitis anquiret & crucem mereri tam Tragica vociferabitur. Leve aliquid notavit? instabit ut creditor immitis, aut Danista importunus, jus suum sibi flagitabit, honoris delibati dicam scribes, fame jugulum petitem dicet. Ambiguum sermonem habuit? in tristem partem strenuè propendebit, quod bonum est, velut fugitiva mancipia Domini sui nomen, transiliet, quod deterius eligit, & in calumnia vertet. Caput non nudavit, via non cessit? Indomitum furet, Deorum atq; hominum in clamabit fidem, se nefariè traductum contendet. aliquot inutilia terra pondera, etiam vetulas testes laudabit, postulabit majestatis. Ad summam, nunquam hic lusciniola deest cantio, ubiq; latissimum invenit campum, in que admissis ingenij viribus evolet, suasq; divitias explicet. Sed quid tamen est? quid agit? fœdissimo errore

calculi

calculi mendacia domi suae subducit, novam enim Logisticam invenit, cujus ratione bis sex octo sunt: quibus decem si addas, centum invenies: si procedas, pecudem illi similem effeceris. Si mihi parum apud vos fides est, consulite Cn. Pompejum, teste fide dignissimum, ille vicem meam respondebit, affirmabit se, quod crus ulceris causa fasciis obligasset, in affectu regni suspicionem incidisse, fuisse qui dicerent, hac de causa diademate crus succingi, ut hac arte in regnum se induceret: nec quicquam ad rem pertinere, qua parte corporis gestetur. Interrogate L. Val. Poplicolam, qui eo nomine ambitus crimine arcesitum fatebitur, quod magnificum excitasset edificium. Percuncta mini Metum Pompeianum, ereptam sibi a Domitiano vitam queretur, quod Imperatoriam habere genesin crederetur, & quod depictum terrarum orbem in membranis, concionesque regum ac ducum ex Livio circumferret. Estne aliquid ultra quod progredi extremam profligata temeritas longius possit? Sed sic sunt Suspicionis parentes, ut vidistis: at de Natrice Diffidentia, quid quaeso videtur?

Ego quidem sic existimo, in quo vos omnes mihi assentiri arbitror, si ipsi Soli, ut Comicus ait, nutricem querendam dedissent parentes, alteram commodiore invenire non potuissent, in hac unica, si a parentibus abierit, spes fortunaeque omnes Suspicioni sitas. Prepara

Ut mirum non sit, novam invenisse Logisticam

Cn. Pompeium in affectu regni suspicionem adduxisse, Zuing. l. d. ex Plutarcho

L. Val. Poplicolam ambitus crimine condemnasse, Plut in ejus vita. Met. Pompeiano vitam eripuisse. d. ex Suetonio.

Natrice Diffidentia.

Qua munitur Suspicioni

D

namque

namq; locum in quem secedere Suspicio cogitat, futurae via molestias praetentat, & ceu metator praemittitur hospitio indicendo. Quod dum facit, omnia curiosa manu averruncat, ne quid relinquatur quod solidam immigrandi, & subsistendi felicitatem quadam quasi aegritudine contaminare possit. Fidem illa omnium, tanquam si uniuscujusq; natura simulationū involuta tegumento fucum faceret, insidiosè traducit, Chamaleontis instar, esse quāquā haeserit ex re nata colorem mutuari, verba in summis labris nasci, nō sibris. Pendet ab oculis, à sermone, à gestibus: in oculis rimatur latentium cogitationum semina; in sermone animi intima; in gestibus utrumq;. Quid fit? nempe ut illi qui exire forās vehementer contendūt, neq; possunt tamen, postes saepenumero, ac cardines vi maxima convellunt: ita cum elegantem crustam inducere non potest, qua una jam potest via, aperte fallit. Cum clausa Jani porta est, cum caduceator missus, qui olivam ferat, & pacis leges feriat; illa hostes ad moenia esse persuadebit, qui ariete murum quatit, & irruptionem minetur. Adeò ut illa sit, & qui cum illà in eadem navi vebitur, de quo Poëta:

Mortua cui vita est prope jam vivo atq; videnti,
 Qui somno partem majorem conterit ævi,
 Et vigilans stertit, nec somnia cernere cessat,
 Sollicitamq; gerit casta formidine mentem.

Nam

dum omnium
 fidem suspen-
 ditam facit,

spendide
 fallit,

Nam veluti pueri trepidant atq; omnia cœcis
 Intenebris metuunt; sic illa in luce pavescit
 Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quã
 Quæ pueri in tenebris pavitant, fugiuntq; futura.

*Cum nemine mortalium participandos sermones, cū
 nemine intimas cogitationes more majorum simpli-
 citer & sine dolo comunicandas, suadet, semper alie-
 nis oculis & auribus utendum; confusis semper digi-
 tis manum porrigendam, non explicatis; congressus,
 colloquia, notas ignotasq; aures vitandas; muta &
 inanima, tecta & parietes circumspectanda. Tales
 ludos cum dari videt Suspicio, letitiis omnibus ince-
 dit, in viam non sine spe victoria se dat, commeatu &
 viatico instructa ab Agesilao, qui diffidentes fallere,
 jus usumq; esse jam pridem dixit: nudum latus trium-
 phabunda occupat, inferior nunquã recedit. Hic cre-
 scendo lascivit, & tantũ non disfluit breviq; tempore
 ipsa suum miratur prodiga luxum.*

*Atrocia credo videntur quæ dico & vulgaris verita-
 tis terminum excedunt? Igitur ne Veritas quarenti-
 bus elabatur, exemplorum luce obscuritatis nubem
 dissipemus. Intueamur Joannem Moscovitarum du-
 cem, qui eò usq; Dissidentia tanquam torrente abri-
 pienda se dedit, ut quoties, vel privatim jus dicebat,
 sive in publico gentium comitio rem gerebat, nulli
 subditorũ vel ridere, vel colloqui, vel leviter hircere*

*& omnia li-
 cet sint expe-
 ditissima in
 metu habet.
 Xenoph. or.
 de Agesl.*

*Faciebat id
 Johannes
 Moscovita-
 rum Dux.
 Vide Camer.
 in hoc sub-
 ec. passim.*

Phalaris

¶

Trizum.

Elian. Var.
hist. lib. 14.
cap. 24.

liceret. Si quis risisset, aut verbulum dixisset, aut bori-
tatem evulnisse; si muisset, insidias subesse argue-
bat. Contemplemur Phalaridem, qui extra humani-
tatis leges tantum se projecit, ut in Africa Numidiaq;
sylvis inter medias feras, quam in præclara aliqua
urbe inter homines vivere se malle, impudenter asse-
reret. Quid memorem Trizum, qui eò delapsus est in-
solentia, ut legem subditis suis scriberet, ne quisquã
cum altero vel domi, vel foris sermones caderet. Cum
verò subditi hanc artē alia arte eluderent, & in sub-
sidium imperati silentij, varios gestus pro rerum va-
rietate advocarent; etiam hoc severa lege sustulit,
tandem & tributam à Natura flendi libertatē publi-
ca licitoris manu constrinxit, & coercuit. Quid per
omnes exemplorū ambages incedam? Nox citius diem
adimat quam inchoatam hanc, & vix dum primis à
me lineamentis adumbratam suspicionis fœditatem
perficere & absolvere ipse possim. Sufficiat ex umbra
Solem, ex ungue leonem, ex vestigio pedem æstimasse.
Res enim ipsa, quæ semper in negotio valet plurimū,
loquitur, Suspicionem natam & conflatam ex fœdis,
ex Philautia genitam, Opinione susceptam, Dissiden-
tia educatam.

Hactenus
Fœditas:
sequitur

Pernicies

Verum enim verò tempus est, ut hinc pedem exe-
ram, & Pernicem, pro temporis, & ocij copia percur-
ram. Per hanc verò dum oculos paulò latius diduco,

robu-

robustam, & gravidam quandam videor videre
Pandoram, omnia malorum genera per unversum
hoc sua ex pyxide disseminantem & dispersientem.

Verè Robustam. Quacumq; enim pervadit, non ut
navis vestigium sui nullū relinquit; sed ita pervadit,
ut publica illac pervasisse calamitas videatur. Homi-
nem quoties invadere vult, ita invadit, ut non supre-
mam saltem pectoris cutē leviter stringat; sed ipsam
interioris animi medullam tentat, & afflatu suo infi-
cit. Ut subtilis illa fulminis vis, omnia perrumpit, o-
mnia comminuit: ita hæc quæ nvis maximè seposita
& abditæ penetrat & contaminat. Illud autem hic ap-
primè perniciosum esse censeo, quod ut tutam sibi viã
præstet, non ostio velut effractio introrumpit, sed per
posticum irrepit, mendacio veritatis faciem induit,
artificiosa voce se provulgat, & sub ingenti præconio,
tanquam institor ad splendidas merces emptorem in-
vitat. Sic occupatos multinodis nexibus

Nassæ involutos attrahit

Malisq; subigit: & tenebris occultit

Crudelitatem callida

Ah strage quanta transeuntes perculit

Grassata tacitis artibus!

Et qui possit aliter? Sagittarius quò tectius jacit sa-
gittam, hoc ferit funestius. Familiares, qui amabili
amicitiæ specie nos invadunt, & verborum deliciis

qua
Robusta.

nam homi-
nem de sta-
tu movet.

idq; occultis
itineribus.

Buch. in Pf.

Sed quo oc-
cultius, eò
periculosius.

demulcent securius inopinantem prosternunt, quam
 faciales isti, qui apertum bellum indicunt, & ferratâ
 ad muros nostros hastam ponunt. Nostra illa laneo
 arrepiit pede: quis vestigium odoretur? quis venenum
 suspicetur? plumbeo recedit: quis venenum jam hau-
 stum & summa celeritate haurientes suffocans reji-
 ciat? quis vestigium fortissimè impressum relegat?
 priusquam apparet, opprimit; priusquâ provocat vi-
 trix est; dum blanditur, fascinat; dum complectitur
 strangulat. Itaq; Robustam esse satis jam liquet.

&
 Gravida.

nam totum
 hominem
 labefactat.

Animum;
 cui omne lu-
 mē obfuscet.

Gravidam etiam esse inde efficio, quod ejus vis ar-
 tissimo sese complexu in plerasq; vitæ humanæ par-
 tes insinuat, latissimo contagio penè omnes depopu-
 latur. Jus hospitij sacrosanctum & inviolabile esse hu-
 manis mentibus anticipata, & divinitus informata
 quedam notio est, ita ut ne Ethnici quidem negatum
 illud eant. At nostra illa nullam religionē moratur,
 hospitem suum primo omnium adoritur, ac periclitat-
 ur, hujus animum & corpus debellat, alterutro sibi
 satisfieri non patitur, ex utroque triumphum ducit.
 Animum felicissimum illum mundi candidatum; Dei
 agnatum, omnium rerum Dominum ac dictatorem
 suæ libidinis mancipium facit, omnem aciem prestin-
 guit, pulcherrimum bonorū consiliorum cursum in-
 tercidit, rationem pervertit, Cor vitæ arcem inva-
 dit, & tam denso tenebrarum fumo obnubilat ut ve-

Juno.

E U

vila-

ritatis splendor aut nunquam, aut agrè possit illucescere: illa facem, quod olim in nocturnis sacris fieri solebat attollit, sed pro dolor! ad vitiorum gurgustia attollit. Hinc periculosissimi existunt temeritatis impulsus, quorum ictibus mens concussa nec sua pericula dispicere, nec aliena facta aestimatione justa prosequi potest. In Corpus pari fertur & servit laniena, nã & oculos obligat, & aures obturat, & sensus compingit: ita quidem, ut qui oculis instructi sunt, cæcutiãt; qui auribus exornati, obsurdescant; qui sensibus aliis præditi, obbrutescãt. Memini ab ordine Asclepiadum asseri, morbum esse quendam, cui lethargo nomen est: eo morbo si quis teneatur, gravissimo sopore, & inexpugnabili necessitate dormiendi sensus impediri, corpus aut cadaver verius perpetuo marcore detineri: humi aut in stratis sine motu & spe vitæ, quem locum ante mali accessum occupãrit, continenter obtinere; nihil ut audiat, videat, tangat, gustet aut odoretur. Hoc mihi laborare morbo videntur, quos Suspicio affligit, quibus certè hominibus nihil terra alit vilius, nihil Sol adspicit miserius. Instar Ægyptiæ pellucet lucernæ hi Timones, seipsis torquentur & quod rectè antiquus Poëta dixit præter vitam, non in ipsa vivunt: domi iracundi, foris morosi; in se tyranni, in alios injuri; cum Pavore & Pallore, sicut Reges olim Romani, bellum sine missione exercentes.

Corpus;
quod misere
excruciat.

Sed

Sed ut hæc non sint ; illud tamen perniciem suspicionis arguit quam maximè, quod ut occultata teredo lignum: sic illa occulto magis tramite, quam aperta via hominem petit, meliorem corporis florem exedit & delimat, hominem tam exquisitis dolorum tormentis emacerat, ut inter mortem & vitam pendere medius videatur. Quà diu vita suppetit, illa molesta est; homo serò jus libertatis, quod resignavit, impetrat; nec nisi tum, cum de humanitate nostra Natura decidit, suis cum consiliariis & parentibus evanescit. Verè hæc non oratorie dici, multæ principum aule nò solum loquuntur, sed etiam personant. Ferdinandum quidè Gonzagam ita extra se rapuit, ut ignarus nemine cogente caput parieti illideret, os immanem in modum distorqueret, oculos in omnè semper partem versaret, quoscunq; viderat, ut percussores subornatos pertimesceret. Gallie regibus hunc morbum adeo familiarem & domesticum memorat Comineus, ut à Caroli Magni obitu, plurimos collecta aegritudine ex sola suspitione, extremam fati necessitatem subire cogerit. Ludovicum XI. in eandem crepidinem noxiis hisce austris ablatum tanta violentia, ut quæcunq; oculis usurparet suis, directa in se nocendi tela existimaret. Hujus patrem eò delatum, ut pertinacissimam sibi ab omni cibo abstinentiam indixerit; quod ad stare crederet, qui venenum callidè mixtum porredu-

rus

Nec anie
affligendi si-
nem facit,
quam homo
vivendi.

Expertus id
est Ferdinã-
dus Gonzã-
ga.
Vide Camer.
in hor. subf.
lib. 3. cap. 25

& cum Gal-
lia Regibus
pluribus
Lib. 5. bell.
Neapol.

Ludovicus
XI,

Huius pater

rus esset. Carolus VI. ita excantatum, ut & mente ad intelligendum & oculis ad aspiciendum captus esset. Talis cum sit in hospite suum Suspicio, quantam porro stragem edat, aestimare in proclivis est. Cum enim discernere velit quæ non cernit; carpere, quæ non capit; reprehendere, quæ non comprehendit; ad libram appendere, quæ non attendit; viros integerrimos incessit, occultis criminationum cuniculis convellit, alienam mentem ex sua bonis affingit; licet ex vero nihil trabant quæ adfert, tamen suarum machinationum usa remigio, nusquã interquiescit. uno quasi protelo ad extremum usq; littus provebitur. Domi forisq; insolentes ludit ludos, illa privatos lares infestat, funestat principum aulas, inclytas respub. subvertit. Domi inter conjuges & maritos dissidium parat, filios concitat in parentes, fugientia domesticorum errata infami elogio ventilat, nunquam satis laudatam Concordiam profligat, & pro imperio exesse jubet. Ut Cæcias ventos; sic illa similtates, jurgia, lites convocat, & malorum quendam circulum conficit. Foris in regum palatiis, principp. aulis, rerump. curiis plenam omnibus partibus tragædiam excitat, cujus fabulam ut plurimum innocentium mors absolvit; quæ plerosq; nihil tale cogitantes, nihil tale promeritos quasi è post scenio furtim invadit; neq; vitam modo, sed & Spes in medio abruptit. Proponite vobis Patriarcham Pau-

&
Carolus VI

Quin &
domi

forisq; viros
edit ludos

ac de medio
sustulit
Zuing. d. l.
ex Cedreno.
Paulinum

E

linum

Albinum,
Val. Max. lib.
19. rer. mem.
cap. 8.
gubernato-
rem navis

Hermeam
Suidas.

Non tamen
decebat per
nudam sus-
picionem
vitā hominū
illudere
Arnob lib. 2

Cicero.

linum: sola suspicio tremebundam cervicē licet ori ferien-
dam dedit. Addite Albinū: falsa suspicio innocentem
civem lapidib. obruit. Cogitate gubernatorē à Petilia
classe in Africam trajicientē: imprudens suspicio inde-
mnatum spiritum exegit. Sollicitate Hermeam è Caria
ducem: inanis suspicio innoxii à vita abjudicavit. Vi-
dete quā furiosè lymphetur, quā protervè grassetur,
quā periculosum exitum faciat, cū primum libidini
sua laxare pedem cepit. Nimirum cū lateri lethalis a-
rundo haeret, quam nec Machaon, nec Podalirius exi-
mat; cum vitā expugnavit, tum resilit, celeres quatit
pennas & sua sevitie modū ac terminum statuit. Deum
immortalem! eò cum homine rē rediisse, ut quando fa-
ma & existimatio, quae pro omnib. bonis valet maxime,
indiscrimen adducitur, levib. indicis vel vanis rumor-
rib. fidē habeat, aut suspicionibus, quae nihil aliud sunt,
quam opinionum nostrarū incole, temerè assentiatur.
De vita hominis, qua nihil carius univērsa natura e-
largita est, ludum agat: tanquā si ageretur de capite
papaverū & cucurbitarū, tanquam si homines exscul-
perentur è quercu. aut de publico suppeteret, unde lucis
usura reparetur. Insignis profecto est temeritas, cum aut
falsa, aut incognita res approbatur, nec hoc quicquā est tur-
pius, quam cognitioni & perceptioni assertionē approbatio-
nemq; praecurrere. Nil profecto homine indignius, quam
tum, cū id, quod fugiens semel hora vexit, diffingi am-
plius infectumq; reddi nequit, sera Pœnitētia vota nun-
cupare: cum lacrymis ac pudore procul advenientē ve-

ritatem excipere: Qualis Marsyas in statuis spectatur, cū temeritatis suæ pœnas Apollini dedit: vel cum Hannibale, ultimo jam supplicio excisos, nihil pro futura innocentia statua cōdecorare. nihil turpius, nihil probrosius, quā delabi ad illam inconsiderantiæ excusationē. Erravi, lapsus sum; non putaram, non prævideram: quam scopulo pejus formidare debet is, quem magnus mundi Rector recta ratione donavit. Recta rationis proprium est, omnia animo ante precipere & meditari in utramq; partem, antequam vel civis in carcerem, vel virus in Orcum relegatur. Decet examinare consilia, & non citò fallaci credulitate ad falsa prolabi, de dubiis non definire, sed suspensam tenere sententiam. Causa plurimorum malorum opinio est, cui non facile credendum est, nec apertis quidem manifestisq; statim & primo pedatu accedendū. Hoc vitium humanæ naturæ est, quæ inviti audimus, libenter credimus, & antequam judicemus, irascimur. Ut è diverticulo in viâ ad Suspiciosum me recipiam: magna est ejus in seipsum servitia, magna in proximum tyrannis. Sed non his modicis finibus, neq; his tam angustis regionib. suspiciōnis perniciēs circūscripta cōtinetur, neq; satis erat, nihil ad summam tyrannidē reliqui fecisse, vincere etiā ac superare oportebat. Igitur altius velū subducit, in ipsum cœlū furiosis ventis attollitur. Ipsi Deo vim infert, cū ipso, non secus, quam si de herciscunda familia ageretur, imperiū partitur: cū quo nō de aris & focis, sed peō ore humano

Val. l. 9. c. 8.

Cic. 1. offic.

cum recta
ratio aliud
suadeat.Sen. 2. de Ir.
c. 22.Etiam in
Deum ini-
qua suspicio
est.

*Utpote qui-
cum arcana
cordium
scrutari
vult.*

*contendit, cui non igni & aqua, sed regno interdicit.
Ecce enim hæc Dei excellentia est, Dei prerogativa,
rimari abditos pectoris recessus & intimas cogitatio-
num fibras pulsare. At Suspicio in easdem partes ve-
nit, ad secretiora cogitationū comitia vult irrepere,
interius animi domicilium immigrare, non tantum
quid homines interprete voce enunciarent, exprome-
re; sed quid tacita cogitatione senserint, explorare.
Omnia peruestigat, omnia lustrat, Olympi ardua, Co-
cyti penetralia, cœli intima, terræ extima. O insignem
suspicionis temeritatem! ô incredibilem pernitiam!
Ne Deum quidem immunem habet suæ virulentia,
Numen illud opt. max. palam laceßit, eludit, accusat.*

*Quo tandem impetu, quo ingenij flumine, hæc tan-
ta incommoda explicabo? Quis spiritus recensendis
saltem par erit? Excidunt mihi verba, quibus lethale
suspicionis pestem deformare satis possim. Dica-
mus quicquid cogitauerimus, cogitemus quicquid po-
tuerimus, possimus quicquid voluerimus, in orationis
angustiam ingentia damna sese cogi non patiuntur.
Et quid verbis opus est, ubi rerum adsunt testimonia?
In rem præsentem devenimus, ipsam Suspicionem in
vero suo vultu conspeximus. Monstrum vidimus, a-
spernemur; fœdum vidimus, execremur; per-
niciosum vidimus, fugiamus.*

*Fugiamus
tantum
malum.*

D I X I.



STVDIOSIS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

S. P.



Arbariem, quæ patrum nostrorum ævo, magna ex parte nec infeliciter convelli cœpta fuit, in plerisq; Academiis paulatim repullulare, viri jam pridem questi sunt. Nam dum considerant linguas hodie, illas omnium doctrinarum arculas, alto supercilio contemni: veterum scripta, in quibus Sapientia cum ipsis Cratiis habitat, pueriliter explicari; in animo, quod debebat esse omnium primum, à vitiorum sordibus expurgando nullum studium aut curam poni, non possunt aliter judicare, quàm extremum exitium omnibus disciplinis impendere. Atqui erat nostrarum partium, qui in scholis regiis juventutem è publico loco docemus, dare operam, ut maturè huic malo obviam eatur, & pestis hæc antè profligetur, quàm latius serpat ac honestis artibus perniciem acceleret: id quod adeò difficile non foret, si omnes ita essemus animati, ut publi-

E 3

cum


cum bonum privatae utilitati praevertendum judicarem. Quotus autem quisque est, cui haec res curae? Plerique omnes nostra agimus, in id potius intenti, ut aliquid opum colligamus, & famem à nostra familia arceamus, quam ut labenti rei literariae succurrere, eamque ab ingruente barbarie vindicare studcamus. Poterant quidem Musarum patroni huic rei facile medicinam facere, si, quae ante multos annos, cum adhuc magna esset omnium rerum vilitas, constituta sunt literatis stipendia, hoc tempore, quo ferè duplo carius omnia veneunt, aliquantulum auferent, & benignitatis suae fontes paulò largius recluderent iis, qui in literarum pomæriis, longè lateque proferendis, omne suum studium ponendum decreverunt. Sed hoc optare citius, quam impetrare liceat. Interim tamen quos Deus in hac statione collocavit, ut juventuti docendo ac scribendo facem allucerent, non debent officio suo deesse, nec committere, ut in se quicquam eorum desideretur, quae ad barbariæ extirpandam, & abiturientes Musas è fuga retrahendas facere videantur. Hoc igitur dum ego quoque ago, & studiosis adolescentibus autor sum, ut quam praestantissimorum omnis memoriae hominum vestigiis signatam & impressam viam videant, eandem ipsi quoque omni studio sequantur, repertus est inter alios etiam

GEORGIUS FABRICIUS

SLE.

SLESWICENSIS, V. CL. M. Jacobi Theologi
 & Pastoris Hamburgensis filius, qui ut se illam, quam
 dixi, viam à prima statim ætate instituisse, nec infeli-
 ces in ea progressus fuisse nobis probaret, DE SU-
 SPICIONE doctam & variis eloquentiæ lumi-
 nibus ornatam orationem composuit, cui habendæ
quartam hujusce diei *horam* destinavimus. Vestrum
 jam erit Studiosi ornatissimi, juveni huic ad præcla-
 ram ingenii laudem efflorescenti benignè operam
 dare, & placidas illi mentes, auresq; præbere. Quod
 ut de vobis mihi omninò persuasum habeo, ita Ma-
 gnificum Dn. Rectorem & Cl. Dn. Collegas ea, qua
 decet, observantia rogo, ut ipsi etiam sua præsentia
 testari velint, se hoc exercitiorum genere non inde-
 lectari. Valete. P. P. Rostochii, a. d. XV. Kal.
 Maij, Anno 1613.

JOHANNES KIRCHMANNVS,
 Possesor & bonarum literarum in Acad.
 Rostoch. Professor.



STVDIOSIS ACADE ROSTOCHIENSIS

S. P.

Barbariem, quæ patrum no-
vo, magna ex parte nec
convelli cœpta fuit, in pleri-
miis paulatim repullulare, v-
dem questi sunt. Nam du-
rant linguas hodie, illas omnium doctri-
culas, alto supercilio contemni: veterum
quibus Sapientia cum ipsis Cratiis habitat
explicari; in animo, quod debebat esse on-
mum, à vitiorum sordibus expurgando n-
dium aut curam poni, non possunt alite
quàm extremum exitium omnibus disc-
pendere. Atqui erat nostrarum partium, q-
lis regiis juventutem è publico loco doc-
operam, ut maturè huic malo obviam ea-
stis hæc antè profligetur, quàm latius ser-
stis artibus perniciem acceleret: id quod
cilè non foret, si omnes ita effemus anima-

E 3

